Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 953
Quelle:
Copyright:

Atque ex his simul conficitur, Expositionem nostram hanc non esse illam, quam *Vol.* et P. *cit. col.* 1032. produximus *Bedae* quidem bis inscriptam, sed a nobis potius *Haymoni Halberst.* tributam, cujus etiam, ut notavimus, nomine impressa prostat. Denique nec illa est, quae in *Libros* VII. divisa inter *Bedae* Opera edit. *Colon. cit.* T. I. *col.* 714. legitur. Rem ipse componit *Beda* in supra memorato Scriptorum suorum *Indiculo*, in quo primum se *Libros* VI. dein iterum *Capitula Lectionum* in *Cantica* elaborasse testatur. *Libros* illos VI. impressos habes, *Capitula Lectionum* egregius hic *Codex* noster imprimenda offert. Erit tamen praeterea Editori de altero etiam in *Proverbia* Tractatu circumspiciendum; nam et in haec *bis* commentatus est *Beda*.

Praetensa *Codici* Membrana laciniam offert Sec. saltem IX. nitide exaratam per duas columnas, quae continet *Leonis* M. P. finem *Homiliae V. de Quadragesima*, et Principium I. *de Passione Domini* edit. *Lugd.* 1700. p. 106. et 118. Et prior quidem inchoat a verbis: *Non longe est ab unoquoque quod poscit*, exacteque respondet Editis, si *lenitate praescribit* pro *praescripsit* demas. Istud vero abit in sequentibus: *Sacramentum dominicae passionis* pro *Sacratissimum Dominicae passionis diem. tam plene* pro *tam plane. Nemo taetram diaboli dominationem* pro *Nemo dominationem diaboli. Patri Deo filius deus* pro *filius dei. Ut quia per adam* pro *ut sicut. refudit generationes* pro *refudit ætates. nisi in hac fide vixit* pro *sacra fide vixit. neque illam aequalem et coaeternam — et putemus* pro *neque illam ita coæternam et æqualem — ut putemus. Quia non est fastidita humilitas nec* pro *Non est fastidita humilitas quia nec. tenebamur obstricti* pro *constricti*. Extrema sunt: *Non tamen ita se abstenuit gloria — —*. Dolenda sane jactura insignis Exempli!

CCCCXII.

Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. 188. f. forma paene quadrata, luculente per duas columnas exaratus, minio, literisque initiorum uncialibus conspicuus, et a. 1790. *Parisiis* adlatus complectitur Ven. *Bedae*, qui Sec. VII. et VIII. *Angliam* suam illustravit, *Expositionem in S. Lucae Evangelium*. Praeeunt mutuae *Accae* Episcopi Opus istud exigentis, et *Bedae* adnuentis Epistolae. *Reverentissimo In Christo Fratri Et Consacerdoti bedæ presbitero acca perpetuam in domino salutem.* Item: *Bedae* Responsum absque Inscriptione: *Mira Vere est et mirae* (vera mire) *doctoris egregii sententia* &c. Sequitur *Elenchus* Particularum XCIV. totam *Expositionem* sistens ad hunc modum: *Praefatio. Lucas theophilo euangelium indicat per ordinem Scripturarum. II. Sacerdotium iusti Zachariæ refertur et uisio in templo qua ei filius angelo reuelante promittitur nasciturus cuius etiam conceptionem memoratur.* &c. U. 118